

tens sumatur pro eo quod est per se existens, et non inhærens, nec per aliud existens: sic enim divina essentia non solum per se est existens, sed etiam est ipsum esse, et ipsa existentia. Non tamen est subsistens si ly subsistens sumatur pro eo quod est incommunicabile ulteriori termino: essentia enim divina communicabilis est Personis. Et habemus aliquale hujus rei exemplum in creatis, licet ex alia parte sit valde deficiens: nam anima rationalis est per se subsistens, quatenus potest separata a corpore existere, non tamen est persona, quia communicabilis est corpori, et supposito integro, qui est homo. Deficit tamen exemplum, quia anima rationalis est forma informans et incompleta, in se, divina autem essentia non est forma informans et incompleta, sed est tota plenitudo essendi; et ita petit ex se illas tres personalitates relativas, ut in illis reddatur incommunicabilis, sicque personalitates illæ se habent ut termini ultimi, et ex se præbent incommunicabilitatem, quia præbent oppositionem relativam, qua ratione oppositionis incommunicabilitatem facit: habent autem ab essentia ipsam rationem existendi per se, quia essentia est ipsum esse a se. Unde non sequitur quod sint quatuor Personæ, quia persona dicit subsistentiam ut incommunicabilem, et in ultimo termino; subsistentia autem absoluta communicabilis est tribus Personis scilicet: Hic Deus, quia talis subsistentia non dicit aliud, quam singularem substantiam, ut per se existentem. Nec sequitur quod sit tantum una Persona, scilicet subsistentia absoluta, sed quod sint tres Personæ cum uno esse, seu existentia per se, quæ est subsistentia absoluta. Sed de hoc latius infra tractandum est.

XLVII. Ad quartum sophisma dicitur, illum syllogismum expository habere manifestum defectum quia medium non perfecte singularizatur: sicut enim in syllogismis de termino communi, requiritur quod medium perfecte distribuatur, ita in syllogismo expository requiritur quod medium perfecte singularizetur: sicut non valet iste syllogismus: Aliquis homo est Paulus: aliquis homo est Petrus: ergo Petrus est Paulus. In præsentia ergo ille terminus: Hic Deus, hæc essentia divina, licet sint termini singulares, habent tamen vim termini communis, quia illa singularis essentia communicatur pluribus suppositis, seu personis, quod est proprium termini communis: et sic non debemus uti illo termino tamquam medio ad syllogismum expository, quia non perfecte singularizatur, sed utendum est illo tamquam termino communi, sed tunc debet perfecte distribui, ut si dicas: Omne quod est Deus, est Pater: aliquid quod est Deus est Filius, etc. sed tunc major est falsa. Ad id vero quod dicitur, quod tota realitas, quæ est in Patre, est in Filio, etc. dico quod tota realitas absoluta quæ est in Patre, est in Filio, non tota realitas relativa; et sic non est adæquate totus Deus in Patre, quia etiam est in Filio. Quomodo autem non sint tres veritates, aut bonitates, licet sint tres res relativæ, sed solum sint tres res veræ et bonæ adjective sicut tres res divinæ, jam supra attigimus, et aliquid inferius dicemus sequenti disputatione tractando quænam prædicata multiplicentur cum Personis.

ARTICULUS IV.

Utrum sint necessariae processiones reales ad distinctionem Personarum, et D. Thomas recte illas dari probaverit?

Huc usque veritas mysterii hujus declarata et defensa a nobis est quantum ad distinctionem Personarum cum omnimoda unitate Personæ. Deinceps pro explicanda amplius ista distinctione Personarum, oportet videre an ad illam necessarium sit ponere processiones in divinis, et quomodo tales processiones dari S. Thomas probaverit, ut deinceps in articulis sequentibus de istarum processionum distinctione et ratione specialius disseramus.

I. Totus punctus istarum difficultatum versatur circa duas consequentias, quas fecit S. Thomas. Alteram infra q. xxxiii, a. iv ad iv, ubi probavit ex Hilario non posse in Deo esse plures Personas improductas, sed necessario unam debere procedere ab alia, quia alias illæ duæ Personæ improductæ non distinguerentur oppositione relativa sed diversitate naturæ. Ex qua consequentia, si recta est, conficitur hanc conditionalem esse veram: Si in Personis divinis datur realis distinctio, debet dari realis processio, et ita necessario requiritur realis processio, quod si illa non datur, non dabitur realis distinctio inter Personas.

II. Alteram consequentiam formavit S. Thomas in hac quæstione xxvii, art. i, ubi probavit dari de facto processiones reales intra Deum, ita quod per eas non mittatur, nec producat aliquid extra, sed ita aliquid procedat quod intra maneat. Quia omnis processio attenditur secundum aliquam actionem; et sicut se-

cundum actionem quæ tendit in exterioriorem materiam attendit ut processio ad extra, ita secundum actionem, quæ manet in agente, attenditur processio ad intra. Quod maxime patet intellectu, et actione intelligendi, quia quicumque intelligit ex hoc quod intelligit procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva, et ex ejus notitia procedens, quæ dicitur verbum cordis. In Deo autem non est intelligenda processio nisi secundum emanationem intelligibilem, non secundum sensibilem, et corporalem, quia Deus caret corpore. Et juvat ista processio intelligibilis ad servandam identitatem in natura cum principio a quo procedit, quia licet in processione rei ad extra, debeat esse diversitas in procedente ab eo, a quo procedit, tamen in emanatione intelligibili potius intelligens fit unum cum re intellecta exprimendo illam in Verbo, et quanto magis fit unum, perfectius intelligitur. Unde intelligere perfectissimum, erit summe unum cum re intellecta. Deus autem seipsum intelligit tamquam præcipuum objectum intelligendi; et sic Verbum debet esse maxime unum cum ipso Deo ut objecto intellecto.

Istæ consequentiæ suas habent difficultates, ex quarum solutione clarius apparebit dari in Deo processiones, et Personarum distinctionem, quæ ex processionibus omnino pendet.

DISTINCTIO PERSONARUM NECESSARIO EXIGIT PROCESSIONES.

III. Igitur circa primam consequentiam D. Thomæ advertendum est illum constare duplici illatione. Inquit enim sic D. Thomas loco citato, q. xxxiii: « Si essent duo innascibiles, unus eorum non esset ab

alio; et sic non distinguerentur oppositione relativa, oportet igitur quod distinguerentur diversitate naturæ. » Quæ illationes aliquibus auctoribus difficiles videntur, præsertim Scoto in I, dist. II, q. III. Nam in primis possent duæ Personæ improductæ, et quarum una non procederet ab alia distingui relationibus non oppositis inter se, sed dispartate se habentibus, vere tamen distinctis, et non impressione fundatis, sicut in opinione quæ dicit Spiritum sanctum distinguendum a Filio, etiamsi non procederet ab illo, non fundaretur in processione distinctio, sed in relatione dispartata; et tamen hoc non est contra fidem: ergo non potest esse contra fidem quod etiamsi essent duæ Personæ improductæ distinguerentur; et sic infirma est consequentia D. Thomæ.

IV. Deinde urgetur illa consequentia, quia non sequitur quod distinguerentur diversitate naturæ: restarent enim alii modo distinguendi, scilicet vel per duas relationes improductas, et dispartate se habentes, sicut filiatio distinguitur a spiratione passiva, etiamsi ista non procederet ab illa apud Scotum; vel per hoc quod una Persona esset absoluta, altera relativa: quid enim inconveniens est quod illa relatio terminaretur ad absolutum: vel tandem per hoc quod utraque Persona esset absoluta, et immediate conveniret Deo, sine hoc quod una procederet ab alio. Nec tunc distinguerentur diversitate naturæ, sed sola diversitate Personæ absolutæ. Et quando dicitur quod absoluta in Deo non distinguuntur, sed solum ubi obstat relationis oppositio, diceret aliquis id intelligi de absoluto pertinente ad rationem naturæ, non ad rationem personæ: cur enim repugnabit Deo aliqua ratio absoluta personalis, quæ in ratio personæ

tantum diversa sit non in ratione naturæ? Et sic plures Personæ absolutæ convenient Deo immediate, sine hoc quod una procedat ab alia.

V. Confirmatur, quia Persona Patris intelligitur convenire naturæ divinæ, etiam in esse proprio specifico, et relativo Patris ante omnem processionem, et originem tam passivam, quia ipse Pater non procedit ab aliquo, quam activam, quia generatio supponit Personam Patris a qua est: ergo ante processionem activam Patris debet intelligi ejus Persona in ratione relationis conveniens deitati, et quasi pullulans ex essentia, ad eum modum quo dicuntur attributa esse ex essentia, ut ex radice sine processione, et emanatione reali: ergo sicut illa prima Persona convenit immediate essentia sine processione, sic reliquæ possunt convenire. Patet consequentia, tum quia essentia Dei est infinita, et ex se habet vim complectendi omnes Personas, quibus est capax terminari: ergo immediate potest illas habere, et non unam mediante alia, seu mediante processione ex alia. Tum etiam quia pro illo signo quo intelligitur Persona Patris, et nondum generatio, debet cointelligi Persona Filii, quia sunt correlativa, et consequenter simul cognitione: ergo repugnat pro aliquo priori intelligi Patrem subconceptu et relatione Patris, quin intelligatur Filius: sicut ergo immediate convenit divinæ essentia Personæ Patris, ita et Persona Filii sine media processione, ita quod processio non sit ratio conveniendi essentia. Quod si dicatur relationem Patris convenire essentia pro illo priori in ratione subsistentis, quia ad hoc non indiget fundamento, cum subsistens sit, non tamen in ratione exercitii, relationis, et respectus, contra est, quia hoc modo etiam relatio Filii,

quatenus subsistens est, non indiget fundamento; et sic potest ante processionem, et originem intelligi ut conveniens essentia; et sic immediate convenire essentia plures Personas, non mediante processione, et origine, licet ad exercendum respectus, et relationes istas, fundamento indigeant.

VI. Confirmatur secundo, quia si per impossibile tres Personæ immediate pullularent ab essentia, et non media processione, et origine, possent super tales Personas fundari relationes æqualitatis, et similitudinis: vere enim tunc æquales essent, et similes cum haberent eandem essentiam; et tamen illæ relationes non procederent, sed immediate convenirent Personis: ergo bene possunt intelligi in Deo plures relationes distinctæ sine processione; et sic licet de facto processionem sint in Deo, non tamen videtur quod ideo debeant poni ut Personæ distinguantur, quia etiam independentem a processione possunt distinctæ intelligi. Et præsertim, quia incommunicabilitas est de ratione intrinseca personalitatis, seu subsistentia, ita quod independentem ab aliquo extrinseco illi convenit, sed ex ipsa essentiali ratione personalitatis, quæ formaliter non dicitur ad alterum, sed ad se, cum subsistentia sit proprius modus substantia, et substantia ut substantia est ad se. Non ergo ex processione multiplicantur Personæ, sed ex ipsa intima ratione incommunicabilis subsistentia id habent.

Nihilominus consequentia hæc, et illationes S. Thomæ inconcusam veritatem habent, illamque desumpsit ex S. Hilario in libro de Synodis, explicatione quarta confessionis fidei, numero XXVI, et similiter eam tradit Fulgentius in libro ad objectiones Arianorum in principio et ad objectionem sextam, indicat-

que Athanasius oratione contra gregales Sabellii. Et quidem supponenda sunt tamquam certa de fide duo.

VII. Alterum est, intra Deum veram et realem processionem dari, non fictam, aut metaphoricam, Joan. VIII: *Ego ex Deo processi, et venit: Joannis XV: Spiritum veritatis, qui a Patre procedit: Sap. VII: Vapor est virtutis Dei, et emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera: Ecclesiastici XXIV: Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam; et aliis multis locis articulo secundo relatis id continetur. Sunt autem istæ processionem intra Deum manentes, et non extra; tum quia eadem Scriptura docet res sic procedentes non esse creatas, sed Deum ipsum et æquales Deo, ut supra ostensum est, quidquid autem non est creatura, sed Deus, intra Deum est; tum etiam quia de Filio procedente, et de Patre a quo procedit, dicit Filius quod: *Ego in Patre, et Pater in me est: et: Ego, et Pater unum sumus: et iterum quod: Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unum sunt, quod stare non potest, si id quod per istas processionem procedit intra Deum non est.**

Alterum quod supponimus de fide est, solam Personam Patris esse improductam et ingenitam, reliquas duas procedere, Filium a solo Patre, Spiritum sanctum a Patre, et Filio, ut habetur in symbolo Athanasii: « Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus, Filius a Patre solo est, etc. » Et idem definitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, in canone: Firmiter, de summa Trinitate, et in Concilio Florentino, in litteris unionis, et in aliis. Sed difficultas est reddere rationem intrinsecam, et propriam, cur in Deo non possit intelligi plures Personæ improductæ, sive relativæ, et quomodo in hoc firma sit consequentia, et

ratio D. Thomæ. Alias enim rationes, quas ex Henrico et Scoto affert et late ventilat atque explicat p. Suarez lib. I de Trinitate, c. IV, non vacat in præsentia ad longum aut firmare, aut refutare. Sufficit legitimam, quæ D. Thomæ est, et ex S. Hilario, aliisque patribus accepta in præsentia defendere.

VIII. Igitur in illa consequentia D. Thomæ prima illatio illius est, quod si essent duo innascibiles, unus non esset ab alio, et sic non distinguerentur oppositione relativa. Et secunda illatio est: ergo oportet quod distinguerentur diversitate naturæ. Quasi dicat: Aut non distinguentur duæ innascibiles Personæ, seu improductæ, quia non distinguentur oppositione relativa sicut Personæ, quæ nunc sunt, aut distinguentur diversitate naturæ, quod est impossibile in divinis. In prima itaque illatione, consideranda est formalitas ejus: non enim intulit D. Thomas quod non distinguerentur relationibus quomodocumque, sed intulit quod non distinguerentur oppositione relativa, quæ illatio valde formalis est, nec ab aliquo negari potest, quia oppositio relativa non potest dari inter duas relationes disparate se habentes, sed inter relationes correlativas, quia oppositio relationis solum est ad suum terminum correlativum: ad illum enim est oppositio, ad quem est tendentia, et contra quem respicit, hoc autem solum est correlativum. Si autem ponantur duæ Personæ et relationes æque improductæ, et quarum una non procedit ab alia, sed disparate se habent, una non est correlativa alterius: ergo non distinguentur ex vi oppositionis correlativæ. An vero alio modo distingui possint, sine tali oppositione, scilicet ex sola relatione etiam disparate se habente, non deducitur a D. Thoma in hac prima illatione, sed

virtualiter id infertur ex secunda, ut statim explicabimus.

IX. Dices: Etiam potest dari oppositio inter relationes, quin una procedat ab alia, ut patet in relationibus similitudinis ut æqualitatis, mensuræ et mensurati, in quibus etiam datur oppositio, nec tamen datur processio, quia bene stat unum esse simile alteri, quin procedat ab illo, sicut unum ovum est simile alteri ovo, et tamen habet oppositionem cum illo, quia est correlativum ejus: ergo deficit probatio S. Thomæ ex eo quod sint duæ Personæ, seu relationes improductæ, ita quod una non procedat ab alia, inferens, quod non distinguerentur oppositione relativa absolute, cum solum inferatur, quod non differant oppositione relativa originis, seu processionis, non alio modo. Respondetur discursum D. Thomæ aliud probare directe et formaliter, seu implicite, aliud virtualiter et implicite. Formaliter probat duas Personas improductas non differre oppositione relativa originis. Implicite et virtualiter probat nulla oppositione relativa differre, quia reliquerat probatum antea, videlicet in quæstione XXVIII, a. IV, quod relationes reales in Deo solum possunt fundari super actione, seu origine, non super quantitate, aut alio fundamento. Unde cum hoc jam præsupponeret probatum, optime intulit quod inter duas Personas improductas non posset esse oppositio relativa: supponebat enim super alio fundamento non posse fundari relationes reales in Deo. Illud autem præsuppositum est certum, quia ex tribus fundamentis quæ concurrere possunt ad omne genus relationis realis, solum relatio, quæ fundatur super actione, potest sine imperfectione versari inter extrema realiter diversa, quod omnino requiritur ad relationem realem, quia ejusdem ad se re-

latio realis non est, sed ad alterum.

Fundamenta autem relationum sunt tria, quæ philosophus enumerat in quinto metaphysicorum.

Primum est relationum, quæ fundantur super quantitate, vel unitate, id est, convenientia, ut æqualitas, similitudo, inæqualitas vel dissimilitudo, etc.

Secundum fundamentum est relationum, quæ fundantur super actione et passione, seu quacumque origine.

Tertium est super mensura et mensurabili. Hoc tertium non potest habere locum in divinis, tum quia non est genus relationis mutue; et sic altera relatio in illis non est realis: mensura enim non respicit realiter mensuratum, sed e contra; tum quia in his relationibus quando reales sunt unum extremum est perfectius altero: mensura enim perfectior est mensurabili: in divinis autem ubi est summa unitas non est unum perfectius altero, aut mensura ejus. Unde æternitas, quæ in Deo mensuram durationis importat, realis relatio non est, sed ratio, ut deducimus præcedenti tomo, disp. IX, a. I. Primum vero genus in Deo esse non potest per modum constituendi extrema realia, sed supponendi, quia si est relatio inæqualitatis, et dissimilitudinis, supponit aliquam minorationem, seu inferioritatem aut deficientiam in altero extremo, ratione cujus sibi inæquale est, aut dissimile; et sic non sunt perfecte unum neque conveniunt. Si vero est relatio similitudinis, vel æqualitatis, ista non facit extrema diversa, sed supponit si realis relatio est: nec enim ipsæ relationes secundum se sunt relationes disquarantiae, ut oppositionem exerceant in vi relationis. De se ergo similitudo non facit extrema diversa, sed potius unit, et in unum

redigit, quantum potest de se, et ex vi sui fundamenti; sed si fundatur similitudo, realis est, quia supponuntur dari extrema distincta, ita quod non fundetur similitudo super omnimoda identitate, sed super convenientia diversorum supponendo ipsa extrema diversa. Ante relationes autem personales, non est in Deo nisi summa identitas essentialis, sine aliqua diversitate. Non ergo in illa potest fundari aut exerceri similitudo realis, nec per realem relationem similitudinis potest primo et per se constitui Personarum distinctio, quia ex sua formalissima ratione fundatur inconvenientia diversorum: debet ergo ad similitudinem supponi diversitas in extremis, non ab ipsa constitui: relinquatur ergo, quod solum super actione, seu origine potest fundari realis relatio, quia ipsamet origine, seu actione possunt fieri extrema distincta, scilicet ipsamet Personæ seu relationes subsistentes. Et sic solum istæ possunt in Deo distingui oppositione relativa.

X. Sed restat tunc secundam illationem D. Thomæ probare. Si non distinguntur oppositione relativa, distinguentur diversitate naturæ, quæ illatio instantiis supra allatis videtur infirmari. Sed respondetur illationem esse efficacem, quia ad omnem distinctionem requiritur aliqua oppositio, cum omnis distinctio separationem et divisionem importet eorum, quæ distinguuntur, quæ separatio et divisio intelligi non potest nisi penes aliquod esse, vel non esse, seu aliquam incommunicabilitatem unius cum alio, a quo dividitur, et hoc oppositionem dicit. Omnis autem oppositio, vel est in relativis, vel in absolutis. Si in relativis, jam habemus relativam oppositionem. Si vero relativa oppositio non est, restat quod debeat esse in absolutis, quæ utique pertinent

ad naturam. In absolutis autem non est oppositio penes respicere, sed penes esse, et non esse, esse hoc, et non esse illud, quod est distinctum a se: ergo si esset distinctio in absolutis, et in natura Dei, esset divisio in ipso esse divino, essentque plures dii.

XI. Ad instantiam autem primam dicitur, quod est impossibile distinguere duas Personas relationibus comparatis, et sine processione unius Personæ ab alia. Etenim relationes non dicuntur incommunicabiles nisi respectu sui termini, quem respiciunt, sui que correlativi: at vero relationes disparate se habentes, sed non correlative, non important incommunicabilitatem, quia nec oppositionem; omnia autem quæ in Deo habent communicabilitatem seu non oppositionem, habent etiam unitatem, quia non datur intra Deum communicabilitas per compositionem, aut unionem unius cum alio, sed per summam simplicitatem et identitatem; et sic idem est non esse relationes incommunicabiles, atque esse unum, sicut spiratio activa, et paternitas unum sunt, quia non opponuntur, nec sunt incommunicabiles. Solum autem relatio est incommunicabilis suo opposito termino correlativo, suo vero subjecto incommunicabilis non est, cum ipsum afficiat, nec aliis formis seu relationibus existentibus in subjecto, quia nec illis contrariatur, cum e subjecto non expellat, nec illas respicit ex opposito, cum non sint terminus respicientiæ suæ. Et sic nihil est quod incommunicabilitatem fundet inter illas: ergo sunt communicabiles intra Deum: ergo unum et idem. Quod vero aliqua opinio salva fide dicit Spiritum sanctum distinguere posse a Filio, etiamsi ab illo non procederet, de hoc agemus infra circa quæstionem xxxvi. Sed tamen debet adverti quod ista

opinio non loquitur de Personis omni modo improductis, sicut loquimur in præsentibus: nam relationes totaliter improductas non negat Scotus, neque aliqua opinio identificari inter se, sicut paternitas et spiratio activa. Sed loquitur in specie hæc opinio de una Persona producta, scilicet Filio, quæ semel ex vi productionis et processionis a Patre constituitur in ratione Personæ ex vi characteristicæ proprietatis, quæ est filiatio. Unde semel constituta Persona in esse, et caractere personæ per filiationem, jam distincta manebit a quacumque alia Persona, et etiam non procedente a se, quia jam per suam processionem supponitur totaliter, et omni modo distincta. In hoc potest salva fide dari opinio, an Persona semel per suam processionem constituta in sua proprietate characteristicæ talis Personæ, indigeat ad distinctionem ab alia Persona, quod etiam inter illas sit processio. Quod autem dentur duæ Personæ totaliter, et omni modo improductæ, et ipsa prima sui improductione distinguantur, in hoc non est opinio.

XII. Ad secundam replicam quod restant alii modi distinguendi Personas improductas quam per diversitatem naturæ, respondetur modos illos diversitatis seu diversificandi Personas omnes reduci ad diversitatem naturæ, quam ibi D. Thomas ponit; et ideo idem distinguere diversitatem naturæ, ac distinguere absolute, seu penes absolutum, et relativum: nam primus ille modus distinguendi Personas per plures relationes improductas, et sine ulla processione jam manet exclusus. Et a fortiori ex eodem principio excluditur distinctio penes duas Personas absolutas, vel unam absolutam, aliam relativam. Cujus ratio est, quia non potest fieri distinctio in aliquo absoluto intra Deum, nisi

inter ipsa absoluta sit aliqua oppositio seu ratio separandi et dividendi unum ab alio. Quia si nulla est oppositio, vel negatio unius de alio, totum erit unum et idem. Cum autem non possit ibi dari oppositio per respicientiam: hoc enim pertinet ad relationem, necesse est quod oppositio fiat penes contrarietatem aut negationem, seu privationem in aliquo esse absoluto subsistentiæ divinæ. Utrumque autem repugnat rei divinæ et infinitæ, quia contrarietas est inter formas se expellentes, et non compatibles in eodem subjecto; et ita una non est tantæ perfectionis, sicut alia, et cum essent infinitæ intensionis in Deo, non esset utraque simul, sed altera tantum: et privatio est negatio alicujus perfectionis seu formæ debitæ, quod totum nefas est in re divina imaginari, quæ summe perfecta et simplex et una est. Quod autem una forma habeat negationem alterius intra eandem speciem, seu genus, est ob limitationem formarum inter se, quia deest illi aliqua perfectio, quæ est in alia, et sic limitantur perfectiones: si enim omnes perfectiones, quæ sunt in uno essent in alio, non distinguerentur, sed essent unum et idem numero. Unde eadem repugnantia est in distinguendo absolutas subsistentias, seu Personas in Deo, atque in distinguendo naturam. Et præsertim quia in Deo subsistentia absoluta est ipsa natura, sicut et existentia; et sic perinde est fieri diversitatem in subsistentia absoluta Dei, ita quod sint plures subsistentiæ absolutæ, atque fieri diversitatem in natura.

XIII. Dices: Totum hoc currit in Personis relativis, et tamen ponimus plures in Deo: nam etiam illud esse relativum, seu perfectio, seu quidquid sit, quod est una relatio, non est in altera, et una habet negationem alterius, et tamen utraque

est infinita: ergo quod dicimus de Personis absolutis, solvendum nobis est in relativis. Similiter sicut subsistentia absoluta est ipsa natura divina, ita et relativa: sicut ergo ex multiplicatione, et distinctione subsistentiæ relativæ non sequitur distinctio in natura, sic neque ex distinctione subsistentiæ absolutæ, licet sit ipsa natura, sequetur diversitas in natura.

Sed contra primum est, quia ad propriam, et essentialem rationem relativorum pertinet quod sint ad alterum, ad rationem autem absoluti quod sit ad se. Unde ipsa perfectio relativorum stare non potest sine pluralitate, quia realis respicientia ad alterum est, et sic multiplicatio in illis est perfectio, vel propria ratio illorum; et negatio unius in altero non est prima ratio distinguendi unum relativum ab alio, sed est quid consecutum, ipsa quippe respicientia est prima ratio distinguendi, quia opponitur alteri, et sic salvant ista relativa omnem identitatem, et unitatem essentiali, et perfectione absoluta, quia solum in oppositione relativa distinguuntur, ipsæque relationes constituunt extrema distincta per oppositionem suam, non supponunt. At vero ratio seu perfectio absoluta est in ordine ad se; et ideo ex sua propria ratione non petit multiplicari nisi supposita limitatione, quia in uno non salvatur tota perfectio, et ratio illius absoluti, sed aliquid negatur, et tollitur ab illo absoluto, et ponitur in alio; et sic ipsa negatio alicujus perfectionis, vel rationis pertinentis ad tale absolutum pertinet ad primam rationem distinguendi, et hoc pertinet ad imperfectionem, qua ratione dixit optime D. Thomas in primo ad Annibaldum distinct. xxvi, q. ii, art. ii, quod: « Distinctio orta ex contrarietate, negatione, aut privatione imperfectionem di-